



Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo & Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.

Decemdecim qd. Arianos.

Programma. qd. Nestorianum.

~~de~~  
Apologia qd. Augustinum.



DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM  
SEXTA,

DE PRAEDESTI-  
NATIONE.

CVIVS THESIS  
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO  
M. GEORGII CALIXTI  
HOLSATI

IN ILLVSTRI ACAD.  
IVLIA

propriid. Kal. Quintil.

DEFENDET  
IOANNES RHANEN  
LVCHOVIENSIS.



*Helmaestady Saxonum*

Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCIJ,

ANNO

---

clb lb cXI.





*Reuerendis, amplissimis, doctissimis, virtute,  
doctrina, rerumq; experientia prestantissi-  
mis viris,*

DN. IOANNI TEGETMEIERO, Ec-  
clesiæ Soltquedelensis Superintendenti dignis-  
simo, vicinarumq; inspectori vigilantissimo, cogna-  
to suo, omnibus honorum & obedientiæ  
officijs prosequendo;

DN. IOACHIMO PETERS, VERBI  
diuini apud Bergenses præconi fidelissimo,  
agnato vt charo, ita obseruando;

DN. BALTHASARI GARTZEN,  
affini dilectissimo;

DN. IOACHIMO PLANEKEN,

*Consulibus patriæ dignissimis:*

Dominis, Mæcenatibus, benefactoribus ac promo-  
toribus æternùm colendis,

*Disputationem hanc Theologicam in grati ani-  
mi omnesq; debita obseruantia tempore, in-  
scribit, offert & dedicat*

IOANNES RHANEN Resp.





DISPUTATIO VI.  
DE PRAEDESTINATIONE.

Resp. IOANNE RHAN Luchouienſe.

THESIS I.



Vperiore diſputatione oſtenſum fuit, in quas quantasq; per lapſum primorum parentū de- uenerimus miſerias, quarum quidē aliæ con- naſcantur, aliæ è connatâ radice pullulent, & à nobiſmetiſiſ ſuperaddantur: nunc quòd non per aliquas noſtras vires, ſed per vnius DEI miſericordiam è tantis malis liberari poſſimus, ex diſputatio- nibus quæ proximè excipiunt, de Prædeſtinatione & Iuſtifi- catione, *ὅν θεῶν* patebit.

II. Acturi autem de Prædeſtinatione, principio eam diſ- criminabimus à Præſcientiâ & Prouidentiâ, ne errorem pari- at confuſio.

III. Præſcientiam dicimus, quâ Deus omnia, quomodo, vbi, quando futura ſint nouit.

IV. Quamquam ſi propriè loquamur, impropriè tam *ὡς γινώσκω* quàm *ὅτι γινώσκω* tribuimus temporum domino, legi- bus temporum libero, apud quem nec futurum cuius præco- gnitio, nec præteritum cuius habeatur memoria: Sed cun- cta præſentiffima, quæ vno ſimpliciſſimo actu ſimul & ſemel ab æterno intuetur. More tamen humano, reſpectuq; rerum quæ fiunt, eas *antequam ſiant præſcire, & poſt conſummationem re- ſpicere* dicitur. Atq; *omnia antequam crearentur cognouiſſe*, quia *Dan. 13, 4<sup>o</sup>* *Eccl. 23, 29<sup>o</sup>* æternitas in quâ cognoscit, antiquior omni tempore, & conce- ptio operis in animo architecti prior effectu.

Q

5. Pro-



V. Prouidentia est illa diuinæ Voluntatis actio, quæ semel conditum & constitutum ordinem vniuersi in vniuersis tuetur, hominum actiones probas adiuuat, prauas positis metis coërcet, cuncta dirigendo in sui gloriam, piorum salutem, impiorum poenam.

Sap 6, 8.  
Heb. 1, 3.

VI. Prædestinationem vocamus electionem filiorum Dei ad vitam æternam.

VII. Quid & in quo vna ab alterâ differat videre est. Præscientia versatur circa omnia; nudam innuit noticiam, nec causam, nec actionem: Prouidentia itidem circa omnia naturæ & voluntatis opera; Verùm simul conuenientem eorum gubernationem ponit: Prædestinatio non nisi electos respicit, & salutis ipsorum causa est.

VIII. Decretum verò (neq; enim eius explicatio hoc loci prætereunda) actio est diuinæ voluntatis decernens aliquem euentum, qui quidem à solo isto decreto dependeat, atq; ita fit necessarius non absolutè verum consequenter. Exempla sunt in missione Filij & resuscitatione mortuorum.

IX. Sed ad ipsam prædestinationem, quam Diuus Paulus Electionem adpellitat plærumq;: Scriptura alibi librum vitæ, atq; inde electos in libro vitæ scriptos, *Dan. 12, 1. Philip. 4, 3. Ps. 69, 29.*

X. Est vero singularia emphasis in vocabulo prædestinationis, vt & in græco τὸ προορισμῶν, quod quum à προορίζειν descendat, & hoc iterum ἀπὸ τῶς ὁρῶν, destinationem ad finem siue terminum innuit, neq; non mentione finis media ad eum ducentia. Non igitur frustra est, quod iam frequentius hoc vocabulo vtitur Ecclesia: nec Apostolo tamen insolente. Immo Ephes. i. v. 4 & 5. ita loquitur, vt pro eodem habeat eligere & prædestinare.

XI. Quamquam illud isto latius patet. Nam accipitur quoq; pro vocatione ad externum aliquod ministerium vt  
Eccle-



Ecclesiasticum ita & Politicum. De tribu Leui: *Ipsam elegit* Deut. 8, 5.  
*Dominus Deus tuus è cunctis tribubus tuis ad standum & mini-*  
*strandum nomini Domini.* Samuel de Saule: *Num vidistis quem* 1. Sam. 10,  
*elegerit Dominus?* *Saluator vocauit discipulos suos, & elegit ex* 24.  
*ipsis duodecim, quos & Apostolos nominauit.* Aliquando de Luc. 6, 13.  
notat illam gratiam, quã Deus aliquam præ cæteris gentem  
in signi sui manifestatione dignatur. Deut. 4, 36. & 7, 6. Ali-  
quando probationem alicuius rei Ies. 58, 6. *Nonne hoc est ieiun-*  
*nium, quod elegi?*

XII. At in disputationibus Paulinis pro eo, quod nos iam  
tractamus saluandorum proposito accipitur: & per Metony-  
miam pro ipsis electis, (vt alibi Circumcisio pro circumcisis)  
quando videlicet dicitur: *Electio quod querebar consequuta* Rom. 11, 7.  
*est.*

XIII. Strictius igitur vocabulum Prædestinationis & si-  
gnificantius; atq; quod notandum, nusquam in sacris literis si-  
nisterius vsurpatur.

XIV. Vt autem hoc diuinæ voluntatis mysterium secun-  
dum gratiam nobis notum factum, prout notum factum est,  
ex S. Scripturâ eius voluntatis indice consideremus; primò  
quidem veram & sinceram doctrinam finitione includemus,  
deinde adstruemus, atq; eadem operâ aduersarias machina-  
tiones destruemus.

XV. Est itaq; Prædestinatio siue Electio actio diuinæ vo-  
luntatis, quã ante constitutionem mundi secundum benepla-  
citur gratiæ suæ ad vitam æternam ordinauit, quotquot præ-  
sciuit in Christum virtute Spiritus Sancti per prædicationem  
Euangelij credituros, & in eâ fide perseueraturos; ad decla-  
randum diuitias gloriæ gratiæ suæ in vasa misericordiæ.

Dico esse *actionem diuinæ voluntatis*: Et huius adsertionis  
fundum do Apostolum, qui ait nos *prædestinatos secundum pro-*  
*positum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis*  
*sua*



sua Eph. 1, 11. Atq; hoc factum esse *κατὰ βολῆς κόσμου* ibidem docet v. 4.

Neq; id secundum opera, sed *secundum beneplacitum gratiae* sua 2. Tim. 1, 9. *non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum & gratiam datam nobis in Christo Iesu ante tempora secularia* Rom. 11, 9. *Reliquia secundum electionem gratiae saluae factae sunt. Si autem gratia, non iam ex operibus*, Ephes. 2, 8. *non ex operibus, ne quis gloriatur*, Tit. 3, 5. *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos fecit nos*. Rom. 9, 12. *Non ex operibus, sed ex vocante*. Nam non est *volentis neq; currentis, sed miserentis Dei* v. 16. 1. Ioan. 4, 10. *In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus Deū, sed quod ipse dilexerit nos*.

Prædestinati verò dicimur & ordinati *ad vitam aeternam*. Act. 13, 48. *siue quod idem est ad gloriam* Rom. 8, 30. *ad salutem* 2. Thessal. 2, 13. Quæ respectu nostri finis ultimus: sed & intermedius docetur Ephes. 1, 4. *Elegit nos ut essemus sancti & irreprehensibiles coram ipso in caritate*. Item: *in adoptionem filiorum per Christum, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum*. Vnde utrumq; complexi Scholastici prædestinationem non malè describunt *preparationem gratiae in praesenti & gloriae in futuro*.

Ulterius dico, quos *praesciuit, etiam praedestinavit* ut Paulus Rom. 8, 29 scribit. Item Petrus priore suâ c. 1. *Electis κτ' ως γνώσιν Ἰησὺ πατρὸς*.

Quotquot, inquam, *praesciuit in Christum credituros*. Hæc videlicet gratia extra Christum consideranda non est. Quare ut ab illâ absoluto decreto natus nemo excluditur, modò credat: ita nec includuntur sine discrimine omnes, fideles & infideles. Sed hoc in sequentibus clarè declarabitur.

Qui verò credunt, nequaquam per suas vires credunt, Ephes. 2, 8. Ioan. 6, 65. Sed *virtute Spiritus sancti*. Vnde & Petrus & Paulus elegi nos scribunt *ἐν ἀγιασμῶ πνεύματος* 1. Pet. 1, 2. 2. Thes. 2, 13.

Is ta-



Is tamen fidem, quamquam primaria fidei causa, non per motus aut raptus inopinos efficit, sed per ordinarium medium, hoc est *per predicationem Evangelij. Vocavit vos*, inquit <sup>2. Thes. 2, 14.</sup> Apostolus, *per Evangelium nostrum. Atq; hinc alio loco; Fides ex auditu; et auditus per verbum Dei.* <sup>Rom. 10, 17.</sup>

Sed quum fidem multi amittant, addo in eâ fide perseveraturos, iuxta illud Servatoris apud Matth. 10, 22; & 24, 12; & Marcum 13, 13. *Permanens in finem hic servabitur. Et in Apocal. 2, 10. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Quæ ut dixi, finis est respectu prædestinatorum: at prædestinantis respectu finis est *laus gloria gratiæ suæ.* Ephes. 1, 6. & 2, 7. Rom. 9, 23.

XVI. Atq; ita quid prædestinatio sit, immò qui prædestinati sint, docuimus. Ex scripturâ quidem, & sine corruptelis; Verum quam nefariè corrumpant, qui variè in diuersas partes abeunt, patebit. Ut enim tam necessarium articulum integrum & illibatum habeamus, impietatemq; profanorum, qui in eum proteruè arietant, arceamus, immota fundamenta iacentes partitè singula lustrabimus.

XVII. Et primò clarius est *quàm solis radij esse olim, cum sudum est, solent in Deo Opt. Max. contrarias voluntates statui nò posse, non debere.* Deus enim non foret, si sibi met contradicat, si

*Composita dicta ex pectore euoluat suo,*

*Quæ cum componas, dicta factis discrepent.*

XVIII. Itaq; pro veritate & voluntate Dei simplice, immotâ & sibi constante Scripturam testem audiamus. 1. Sam. 15, 29. *Triumphator in Israël non mentietur & non pœnitebit.* Mal. 3, 6. *Ego Dominus, non mutor,* Rom. 3, 4. *Est Deus verax, omnis autem homo mendax.* Iac. 1, 57. *Apud patrem luminum non est transmutatio aut vicissitudinis adumbratio.*

XIX. Sed & in gratiam eorum qui acutiores videri volunt, anxieq; inter consilium & voluntatem distinguunt, &

Q 3

urgent



urgent aliud promissum esse, aliud beneplacitum, plura ad-  
scribo. Ipse Iehouah eos redarguit per prophetam: *Consili-  
um meum stabit, inquit, ut omnem meam voluntatem faciam. Et  
per Dauidem; Non prophanabo pactum meum & egressum labio-  
rum meorum non mutabo. Neq; non per Bilham: Non est homo  
Deus ut mentiarur, & Filius hominis ut pœniteat eum, an ipse dixit  
& non faciet? & locutus est, & non stabiliet illud?* Apostolus a-  
pertissimè eos confundit. *Fidelis Deus, quia sermo noster, qui fu-  
it apud vos non factus est Etiam & Non. Nam Dei Filius in vobis  
per nos predicatus, non factus est Etiam & Non: Sed Etiam in illo  
fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Etiam, & in illo  
Amen. Quid porrò? Quæ illi à voluntate beneplaciti distin-  
guere & voluntatem signi adpellare solent, verbum & pro-  
missiones hîc Etiam & Non fieri negantur; adeoq; in Christo  
firmatæ & obsignatæ probantur.*

XX. Hisce ratis, porrò probabimus hanc esse seriam Dei  
voluntatem, ne quis omnino pereat, verùm saluentur omnes.  
Neq; eam probabimus ex infinitâ bonitate, quæ compati ne-  
queat propositum aliquod, quo ad extremum malum desti-  
nentur homines: sed potius diffundat & communicet se cum  
omnibus. Ipsi Deo de suâ voluntate testanti, & iuranti cre-  
damus saltem. *Viuo ego, inquit, si volam mortem impij, quin imò  
auertat se impius à viâ suâ & viuet.* Credamus Filio sanctè ad-  
firmanti hanc esse voluntatem patris sui, *ut omnis videns Filium,  
& credens in eum habeat vitam aeternam.* Item Apostolis, Petro  
primùm, cuius sunt hæc: *Non tardat Dominus promissionem, non  
volens ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere.* Deinde &  
Paulo idem iisdem penè verbis adferenti *Deus, inquit, omnes  
homines vult seruari & ad agnitionem veritatis peruenire.*

XXI. Certè nec Deo nec Christo eius nec Spiritui san-  
cto per Apostolos loquenti credunt, quicumq; dicere non ve-  
rentur, Deum absolutâ voluntate cæteras causas omnes ante-  
gressâ



gressâ plerofq; mortalium reprobare, eosq; adeo ad hanc re-  
probationem & damnationem infallibili & inflexibili decre-  
to ordinare. Dicit hoc Calvinus aeterno videlicet & immuta-  
bili consilio Deum semel constituisse, quos olim semel adsumere vel-  
let in salutem, quos rursus exitio deuouere. Hoc consilium quoad  
electos in gratiâ eius misericordiâ fundatum esse adserimus, nullo  
humana dignitatis respectu, quos verò damnationi addicit, his iusto  
quidem & irreprehensibili sed incomprehensibili ipsius iudicio vite  
aditum precludi. Dicit & Beza Prædestinationem esse aeternum  
& immutabile decretum, ordine antegrediens omnes salutis  
& damnationis causas, quo Deus constituit, in alijs quidem in Chri-  
sto & merâ gratiâ seruandis, in alijs verò in Adamo & semetipsis  
iusto iudicio damnandis glorificari.

Inft. l. 3. c.  
21. §. 7.

Chr. quest.  
& responf.

XXII. Et quid dicam de Bellarmino? Adnititur ille  
probare singulari capite causam reprobationis impiorum partim  
ad solam Dei voluntatem, partim ad peccata præuisa referendam  
esse. Probatio huiusmodi: Dicimus reprobationem duos actus  
comprehendere, alterum negatiuum, alterum positiuum. Primum  
enim non habet Deus voluntatem illos saluandi, deinde habet vo-  
luntatem eos damnandi: & quidem quod adtinet ad priorem actum  
nulla datur eius causa ex parte hominum, sicut neq; prædestinatio-  
nis. Posterioris autem datur causa præuisio peccati. Agnoscimus  
geminos actus, verum mente potius quam reipsâ distinctos.  
Nam qui negat salutem ponit damnationem, neq; enim da-  
tur tertium. Quare si negatiui nulla causa ex parte hominum,  
nulla etiam positiui: quum sit vnus & idem, nec ab inuicem  
nisi cogitatione separentur. Bellarminus itaq; in eodem luto,  
quo Calvinus: quod ingenuè quoq; fatetur, scilicet se credere, ibid. c. 8.  
Deum absolutâ voluntate alios non velle saluare.

l. 2. de gr. &  
lib. arb. c. 16.

XXIII. Verum accensâ diuini verbi luce, scindit se nubes,  
& in aethera purgat apertum. Eam adeo splendidam nunc pro-  
feremus ut oculorum aciem præstringat in acie hostibus. Ipse Ie-  
houah



Ezech. 18. houah apud Prophetam: Numquid volendo volo mortem impij?  
29. Nonne si auersus fuerit à vijs suis & viuet? Item: Nolo mortem mor-  
t. 32. tui. Quid clarius? Non vult mortem ne quidē impij & mortui.

XXIV. Et hinc promissiones de gratiâ vniuersales ita vt ab eâ neminem mortalium seiungant. Ioël 3, 5. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Matth. 11, 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ioan. 1, 2. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius.* c. 3 v. 16. *vt omnis qui credit in eum, non pereat.* Item, c. 5 v. 24. & c. 6 v. 40. Act. 10, 43. *Huic omnes propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Rom. 11, 32. *Conclusit Deus omnes in incredulitatem, vt omnium misereatur.* Tit. 2, 11. *Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus.* Quomodo quæso de omnibus verè hæc enuncientur, nisi Deus omnes velit seruare, nullos absolutâ voluntate reprobare?

XXV. Atq; hoc quia liquet, non potest non liquere, quòd Deus ad exitium neminem creârit, adeoq; nec primum hominem vt moreretur & nos in eo omnes. Nam contradictionem implicat, nolle aliquos perire & aliquos in eum finem condere, vt pereant. Deinde quomodo præstantissimum suum opus præstantissimus opifex odio habeat, qui ipse omnem artificem naturaliter opus suum diligere voluit? Verùm Scripturam consulamus, quæ ait, *creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* Minimè gentium igitur ad inobedientiam, iniusticiam, mortem. Et falsum foret, si quidquam Deus ad damnationem fecisset, hoc quod creationis operi subiungitur epeisodion: *Vidit Deus omne quod fecerat, & ecce valdè bonum.* Quomodo enim valdè bonum, quod damnandum? Sapiens egregiè nobis suffragatur: *Deus inquit, mortem non fecit nec latatur in perditione viuorum.* Item. *Nibil abominaris eorum quæ fecisti, neq; enim odiens aliquid constituisti.*

26. Non



XXVI. Non verò bellè conueniat ei cum Caluino, cui non Inst. l. 3. c. 21. §. 5.  
*pari conditione creatur omnes: sed alijs vita aeterna, alijs damnatio*  
*aeterna praordinatur.* Item: *Nascuntur inter homines ab utero cer-*  
*tae morti deuoti.* Neq; cum Beza, qui scribit, *Deum ab aeterno*  
*nonnullos condere constituisse, in quorum iusto exitio iustitia sua*  
*gloriã patefaciat, ob eamq; causam omnes exitio destinatos non pos-*  
*se non suo tempore perire.* Et proposuisse reprobos in hunc finem de prædest. cont. Ca- stell. Coll. Mom. gloss. ad 1. Pet. 2.  
*creare, ut in ipsis iram & iustitiam suam ostenderet. Et sic visum*  
*esse Domino, nonnullos ad hoc ipsum condere ut in eorum iustã con-*  
*demnatione filius Dei glorificetur.*

XXVII. Fecimus quoq; antè mentionem lapsus primo-  
rum parentum, de quo tam manifesta veritas, quàm aduersa-  
riorum blasphemia ex ipsorummet scriptis obiter ostenden-  
da. Caluinus *Inst. lib. 3. c. 23. §. 4.* *Quum in suã corruptione pere-*  
*unt, nihil aliud quàm pœnas luunt eius calamitatis, in quam ipsius*  
*predestinatione lapsus est Adam.* Et §. 7. *Disertis verbis hoc ipsum*  
*exstare negant, decretum fuisse à Deo, ut suã defectione periret A-*  
*dam.* Quasi verò ambiguo sine condiderit nobilissimam è suis  
creaturis? Paullò post: *Iterum quero vnde factum est, ut tot gen-*  
*tes vnã cum liberis eorum infantibus aeterna morti inuolueret lap-*  
*sus Adæ absq; remedio, nisi quia Deo ita visum est? Hic obmutescere*  
*oportet tam dicaces alioqui linguas.* *Decretum quidem horri-*  
*bile fateor: inficiari tamen nemo potest, quin præsciuerit Deus, quem*  
*exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet, & ideo*  
*præsciuerit, quia decreto suo sic ordinarat.* Et §. 8. *Quanquam nec*  
*ipsum quidem per se probabile est, solã Dei permissione, nullã ordina-*  
*tione hominem sibi accersisse interitum.* Item: *Cadit igitur homo,*  
*Dei prouidentiã sic ordinante.*

XXVIII. Verùm ne sine ratione insanire videatur  
& illam ibidem addit. *Lapsus est, inquit, primus homo,*  
*quia Dominus ita expedire censuerat, cur censuerit, nos latet.*  
*Certum tamen est non aliter censuisse, nisi quia videbat nominis sui*

R

glori-



de præd. ad  
Castell.

gloriam inde merito illustrari. Et eandem rationem seu potius  
cramben recoquit Beza ubi ait: *Oportuit ergo Deum quoque hanc  
unicam viam sibi aperire, id est, Adami lapsum ordinare, sed ad  
eum quem dixi finem, videlicet, tum misericordie tum seueritati  
declarande.*

XXIX. Quasi verò Deus summè bonus & iustus non fu-  
isset, etiamsi aut nihil vnquam creasset, aut suam nunquam  
bonitatem iustitiamq; declarasset. Quasi verò illam non ab-  
undè declararit, dum Angelos, hominem, & totum vniuer-  
sum condit, istam dum nobilissimas creaturas, coelestes spiri-  
tus, vt iustissimè ita seuerissimè punit. Larga profectò & laxa  
iustitia, quæ tot Angelos damnaret, & plerosq; mortalium  
certo exitio destinaret: at arta misericordia, quæ seruaret  
non nisi pauculos homullos. Immò quæ iustitia, Adamum  
nihil tale meritum omnesq; eius in eo posteros, priusquam  
quidquam vel boni vel mali fecerint, ineuitabili decreto,  
contra quod nec mutire valeant, peccatis & peccatorum pœ-  
nis deuouere? Næ illi dum Iusticiæ diuinæ ostendendæ sata-  
gunt, pro eâ extremam iniustitiam obtrudunt.

XXX. Vtlerius qui progrediuntur & scitantur, cur Deus  
hominem talem, qui peccare potuerit condiderit; cur tenta-  
ri permiserit, quem tentatione superatum iri præscierit & ho-  
rum similia: equidem non satis considerant *profunditatem di-  
uinitarum & sapientia & scientia Dei, quàm incomprehensibilia iu-  
dicia eius & imperuestigabiles via eius.*

XXXI. Quamquam rationes reddi non nequeunt. Nam  
hominem nobilissimam creaturam esse oportuit: in hoc ve-  
rò præcipua eius nobilitas consistit quod liberâ electione fle-  
cti possit ad vtrumlibet. *Reliquit igitur illum in manu consilij sui.*  
Eccl. 15, 14. Quod qui fieri debuisse negant, hominem non hominem sed  
brutum fieri debuisse adfirmant. At seruâtâ hac nobilitate  
& arbitrij libertate, dari nequitur homini secundum condi-  
tionem



tionem suæ naturæ peccare non posse. Deinde qui necessitate non peccat, nequaquam suâ sponte non peccat. Spontaneam verò obedientiam Deus requirit. Quare rectè Haymo creavit hominem inquit ad imaginem & similitudinem suam <sup>Sup. Ep. ad Philem.</sup> ut sicut ipse voluntate est bonus non necessitate, ita & homo voluntate esset bonus non necessitate. Quoniam & tu ait Basilius <sup>hom. quòd non Deus auctor &c.</sup> seruos non quando vincitos incustodiâ retines beneuolos esse tibi existimas, sed cum sponte omnia quæ erga te oportet videris agere. Verùm *μη θελον πιντα τα βαθη ειδεναι, & μη εν τδ ειδεναι τεκμηριον.* Chrysof. in Ep. ad Rom.

XXXII. Nunc ad aliud hydræ caput amputandum adcingamur necesse est. Nam Deum non tantùm ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinasse, quoscunq; libuerit, verum esse agnoscit Beza, vt mirum sit, ipsum eum & alios eiusdem factionis tricari & sese huius opinionis purgitare. Suppudet fortasse ab Homero, Platone, Trismegisto, ijs qui extra, blasphemiarum postulari. Sed frustra *αυχιζου*, cum tot scriptis conati fuerint contrarium probare. Zvvinglius de Esauo in hunc modum: *Mori non potuit quem diuina prouidentia in hoc creauit, vt viueret, atq; impie viueret.* <sup>Elencho cont. cata. bap. Serm. de prouid.</sup> Alibi. *Porro iniustitiam in sese nobis ostendere numen cum nullâ ratione posset, vt quod vndiq; verum, bonum, sanctum naturâ sit, per creaturam iniustitiæ exemplum produxit, non quasi creatura illam suo Marte produxerit, quæ nec est, nec viuit, nec operatur sine numine, sed quod numen ipsum auctor est eius quod nobis est iniustitia, illi verò nullatenus est.* Et quid aliud Calvinus, postremo capite libri primi suæ institutionis agit, quàm vt Deum omnium malorum, peccatorum, errorum auctorem faciat? Piget ea adscribere.

XXXIII. Saltem quæro ad hoc Zvvinglij: *adulterium aut homicidium, quantum Dei est auctoris, motoris, impulsoris, opus est, crimen non est.* & ad hoc Caluini: *homo iusto Dei impulsu agit*



1.1. Inst. c.  
17. §. 5.

in resp. ad  
Castell.  
aph. 22.

Rom. 3, 8.

Inst. l. 2 c. 4.  
§. 2.

*quod sibi non licet; an non sit omnium gentium consensu, qui alium ad opus quodcumq; faciendum cogit & impellit istius operis sub suâ ratione accepti primarius auctor? Certè auctoris nomen multo iustius imperans quàm exsequens meretur. Iterum quæro ad hoc emblemata Caluini: *Ego plus concedo: fures & homicidas & alios maleficos diuina esse prouidentia instrumenta, quibus Dominus ipse ad exequenda, que apud se constituit iudicia, utitur.* Et ad alterum Beza: *Sic agit per illa instrumenta ut non tantùm sinat illa agere, nec tantùm moderetur euentum, sed etiam excitet, impellat, moueat, regat, atq; adeo quod omnium est maximum, etiam creet, ut per illa agat, quod constituit.* Quæro inquam, sitnè qui utitur instrumento ad huiusmodi usum à se creato, primarius operis per instrumentum facti auctor, adeoq; ipsum illud in specie intenderit?*

XXXIV. At aiunt scelera non esse scelera quatenus à Dei, sed quatenus ab impiorum voluntate proficiscuntur. Quæro autem quur in eodem opere Dei bona sit voluntas, hominis mala. Respondebunt, quia hæc corrupta, & malum finem spectat: illa bona bonum, scilicet ut commodè iusticiam exercent. Nec primum verum est de primo primi hominis peccato, quod ortum non duxit ex aliquâ præexistente naturæ corruptione. Nec alterum concesserit Apostolus, docens *non esse facienda mala ut eueniant bona.* Neq; enim ex intentione bona fieri possunt, quæ per se intrinsecè & ex obiecto mala sunt. Deinde si Deus impellit ad peccatum, peccatum verò sine malâ voluntate non est, utiq; ad hanc etiam impellit. Sententiâ igitur Caluini & Beza Deus primarius auctor omnium peccatorum.

XXXV. Quia verò qui alteri auctor est, ut peccet, continuo & ipse peccat, sequitur ex hoc profano dogmate, **DEVM** peccare. Quod quò exactius intelligas, audi Caluinum. *Omitto, inquit, hîc vniuersalem Dei motionem unde creatura omnes,*  
*ut*



ut sustinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. De illâ speciali actione tantum loquor, quæ in unoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus, Deo, Satanae, homini assignari videmus non esse absurdum. Quum deformitas quæ in peccato non possit propriè referri ad vniuersalem causam, concurrentem indifferenti ad hoc & ad illud influxu, qui determinatur & modificatur demum à causâ particulari: huiusmodi influxum remouet Calvinus, docetq; Deum tanquam causam particularem malas actiones, quæ tales sunt, in specie intendere & per sua instrumenta perficere. Ex quibus an non sequatur Deum verè peccare: & quid? hominem absq; controuersiam peccando saluari, cum faciat quæ velit eum Deus facere; Christus verò disertè: *Qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, hic n- trabit in regnum cælorum: Ipsi inquam de hisce, & qui ipsos se- quuntur videant.* Matt. 7, 21.

XXXVI. Et simul quomodo hæc sibi concilient loca scri- pturæ: Deut. 32, 4. Ps. 5, 5. Ier. 19, 5. Hab. 1, 13. 1. Io. 2, 16. Hæc consulant, & discant num hominibus *ex Dei ordinatione sicut* Inst. 1. 3. c. 23. §. 9. docet Calvinus, *injiciatur peccandi necessitas.*

XXXVII. Addimus autem nos, præ cæteris firmissimum, quod Dei voluntatem liquidissimè declarat, & figmentum absoluti decreti fortissimè impugnat, id est, Christum missum esse omnibus, & pro omnibus mortuum. Nobis nolumus credi, verum scripturæ. Ies. 53, 6. *Dominus posuit in eum iniquitatem omnium nostrum.* Ioan. 1, 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* c. 4. v. 42. *hic est verè Saluator mundi Christus* c. 12. v. 47. *Veni ut saluificem mundum.* Rom. 5, 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines condemnatio, sic & per vnius iustitiam in omnes homines iustificatio vitæ.* c. 8. v. 32. *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 2. Cor. 5, 15. *Vnus pro omnibus mortuus est.* 1. Timoth. 2, 6. *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* 1. Ioan. 2, 2. *Ipse propiciatio est pro peccatis nostris: non*

R 3

pro



*pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi Hebr. 2, 9. ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.*

XXXIIX. Qui vident ex hac veritate malè agi cum suo decreto, profiteri audent, Christum non pro singulis mortuum esse, sed tantum pro aliquibus, quos solos Deus saluos fieri velit. Beza ad VVurtembergicos. *Et cerre ait nobis intolerabilis vox vestra visa est, Christum esse mortuum pro damnatis. Quà vnâ operâ intolerabilis etiam videtur ipsi vox & Pauli & Petri, qui audiantur. Paulus ad Rom. 14, 15. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. 1. Cor. 8, 11. Et peribit infirmus frater in tuâ scientiâ propter quem Christus mortuus est, Heb. 10, 29. Quanto putatis deteriore dignus iudicabitur supplicio filium Dei conculcans, & sanguinem testamenti in quo sanctificatus est, profanum ducens. Petrus posteriore suâ c. 2, v. 1. Inter vos erunt falsi doctores, qui introducent sectas perditionis, & illum mercatum eos Dominum negantes, accersentes sibiipsis velox exitium.*

XXXIX. Accedit demum pulcerrimum corollarium vniuersalis vocationis, quâ vniuersale hoc Christi meritum Deus vniuersis mortalibus per prædicationem Verbi & consilij sui offert, ne quem relinquat locum sinistrè de suâ in nos voluntate vel absoluto aliquo odio suspicandi. Vocationem verò vniuersalem esse satis constat cum ex tribus solennibus epochis, Adami, Noachi, Christi, tum ex liquidâ scripturâ Ies. 45, 22. *Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terra. c. 45, v. 1. Omnes sitientes venite ad aquas, etiam qui non habet pecuniam; venite, emite & comedite, venite, emite absq; argento & absq; precio vinum & lac. Matth. 11, 28. Venite ad me omnes Act. 17, 30. Deus nunc adnunciat omnibus ubiq; hominibus, ut resipiscant. Matth. 22 & Luc. 14 inuitantur ad coenam & nuptias, qui venire rigidè recusant & sese frigidè excusant, immò qui adparitores contumeliâ adficiunt & interficiunt.*

XL. Quâ luce nulla lux clarior, vel medij cum solem in  
culmi-



*culmine mundi, Tollit anhelat dies.* Quoniam igitur constat, quòd Deus secum ipse non pugnet; velit verò saluari omnes homines; adeoq; nec eorum primum nec quemquam alium ad damnationem aut damnationis causas creavit vel destinavit; verum omnibus filium suum miserit & pro omnibus tradiderit; & per ministerium verbi omnibus obtulerit: hinc etiam ἀπεργω μετρω constat, absolutum decretum nullum esse, nullâ absolutâ Dei voluntate quemquam reprobari. Restat declarare, quâ demum fiat, quòd quum Deus neminem perire velit, & Filius pro omnibus mortuus sit, non tamen electi sint omnes.

**XLI.** Verbo dicam, Incredulitas ipsorum hominum in causâ, aliud nihil. Deus enim omnibus promittit vitam, & omnes vult seruari: sed in Christo & per fidem in eum; haut aliter. Hoc est ordinatâ voluntate, quæ semet ad certum ordinem & media demisit: non absolutâ, quæ per absolutam potentiam continuò velit in actum educi. Præterea scribitur, *ut omnis qui credit in eum non pereat, Ioan. 3, & 6. & c. I. V. 12. Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius. Rom. I, 16. Euangelium potentia Dei in salutem omni credenti.* Excluduntur itaq; ab electionis gratiâ reprobi non aliquo decreto, sed suamet culpâ & incredulitate, ut alibi euentius docetur: *Marci 16, 16. Credens & baptizatus saluabitur: at non credens condemnabitur Ioan. 3, 18. Qui credit in eum non iudicabitur: qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. v. 36. Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum c. 16, v. 8. Veniens paraclerus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Rom. II, 20. Per incredulitatē defraçti sunt, tu verò per fidem stas.*

**XLII.** Hæc ut euidenter ob oculos ponant Theologi, dicunt diuinam voluntatem in se quidem vnâ & simplicem, ita



ita tamen in verbo reuelatam, vt ostendatur, & quid consilij Deus in vniuersum de omnibus habeat, & quid statuatur de ijs, qui huic consilio vel obsequuntur, vel repugnant.

XLIII. Quamobrem *ἡγεμονίαν*, antecedentem siue primam vocant, quâ omnibus vult vitam & salutem, ideoq; quibus eò perueniatur media ordinavit, quæ omnes vult amplecti: *ἐπιμονίαν* verò consequentem siue secundam, quâ alios media illa sequentes saluat, alios vel ociosè negligentem, vel malitiosè contemnentem damnat.

XLIV. Vtraq; ex ijs quæ dicta sunt, satis manifesta. Hic tantummodo notetur, subordinari sibi inuicem non contrariari. Nam prior respicit vniuersos vniuersè homines, & includit vniuersalem Dei erga eos dilectionem, vniuersalem eorum vocationem, vniuersalem Christi pro eis satisfactionem: Altera ordinem quo adplicantur ista & alios resistentes alios obsequentes partitè respicit. Deinde obseruandum, non esse distinctionem hanc heri aut hodiè natam sed priscis quoq; patribus vsurpatam, Chrysostomo *hom. 1. super primum caput ad Ephesios*, & Theophylacto *ibidem*. Vtitur item Damascenus *l. 2. de fide orthodoxa, c. 29*. Et Bonaventura *in compend. Theologicae veritatis c. 30*.

Coll. Mom-  
pelg.

XLV. Patroni verò absoluti istius decreti, quia vident ex hoc fundamento suum validè euerti, non erubescunt profiteri *tam falsum, incredulitatem esse causam diuini huius decreti de iuste perdendis aliquibus, quàm falsum est prauisam fidem vel bona opera causam esse prædestinationis.*

thes. 41.

XLVI. Nos contra manifestis sacrarum literarum suprâ citatis testimonijs credimus: & quoniam ex electione gratiam & Christum excludere iisdem prohibemur, nec fidem sine quâ gratia & Christus adprehendi nequeunt, excludimus. Iisdem docemur, prædestinari nos *eis ὑιοθεσίαν*, in adoptionem filiorum: Filios verò esse per fidem in Christo Iesu, *Gal. 3, 26.*

*Ioan.*



*Ioan. 1, 12.* Docemur etiam electos nos secundum præscientiam: & præscientiam non referri ad opera: referri igitur ad fidem, quum aliud non detur, & aliquid tamen præscitum. Docemur hanc esse voluntatem patris, ut non nisi credentes habeant vitam æternam: neq; verò credo negaturos talem esse electionem qualis est voluntas, tale propositum qualis exsecutio. Docemur *ἀδύνατον sine fide placere Deo*: nec credo Hebr. 11, 6. adfirmaturos quòd electi sint, qui non placuerint. Docemur eandem rationem prædestinationis esse, quæ iustificationis: sicut igitur nemo iustificatur nisi per fidem in Christum: ita Gal. 2, 16 ab æterno nemo electus est, nisi fide Christum adprehensurus, nemo reiectus nisi non crediturus.

**XLVII.** Et sicut non iustificamur propter fidem tanquam virtutem promerentem: ita neq; electi sumus propter præuisam fidem, sed in fide *2. Thes. 2, 13.* in Christo *Ephes. 1.* hoc est, per fidem in Christum, ut exponit Theophylactus & *Eph. 2, 8.* legitur: *gratiã seruati estis per fidem.* Item *1. Thes. 5, 9.* *positi sumus ad obtinendam salutem per Dominum nostrum Iesum Christum.* Fides itaq; in electione non habet rationem impulsione vel meriti: sed conditionis. Nam sub conditione fidei sumus electi. Quare in electione hæc tria Gratia Dei, Meritum Christi & Fides mutuo quodam respectu cohærent, nunquã separanda, verum iunctim consideranda ita ut priora duo vniuersalissima determinantur ad homines determinante tertio. Atq; id iuxta propositum & voluntatem Dei hoc nobis medium, per quod seruemur, dantis & ordinantis.

**XLIX.** Atq; hinc videre & delere est errorem eorum, qui in alterum extremum impingunt & generalem quandam electionem fingunt. Generalis illa quidem respectu omnium credentium: at partialis respectu omnium hominum, qui quia non credunt omnes, nec electi sunt omnes: quia non vocati, non iustificati, non glorificandi omnes, nec electi omnes.

S

Nam



Rom. 8,30. Nam (adestante nobis Paulo) quos prædestinavit, & vocavit, & iustificavit, & glorificavit: Atq; in hunc modum apud  
e. 12, v. 1. Danielem: *Saluabitur populus tuus omnis inuentus scriptus in li-*  
Matth. 20, & 22. bro. Quid? ipse Seruator semel atq; iterum: *Multi vocati, pauci*  
e. 17, v. 8. *electi.* Et clarè in Apocalypsi: *mirabuntur habitantes super ter-*  
*ram, quorum non sunt scripta nomina in libro vite à constitutione*  
*mundi.* Sed mittamus, quos sua absurditas, adeoq; ipsum E-  
lectionis vocabulum abundè redarguat.

XLIX. Et pergamus declarare quòd non nisi hominum  
incredulitati accepta referenda tot hominum damnatio. Ve-  
rùm enim uerò, quia verum est, incredulos omnes reprobari:  
2. Thef. 3, 2. Et præterea verum est quod scribit Paulus & πάντων ἡ πίστις.  
Ephes. 2, 8. Neq; non alio loco: *gratiâ seruari estis per fidem, & hoc non ex*  
Phil. 1, 29. *vobis, Dei donum est.* Item. *Vobis donatum est pro Christo, non so-*  
*lum in eum credere, sed & pro illo pati.* Videtur hinc colligi caus-  
sam damnationis referendam ad absolutam voluntatem Dei,  
qui fidem quum solus dare possit, plurimis quos damnaturus  
est, dare nolit.

L. Vt hisce quoq; sua constet veritas, repetendum ex ijs,  
quæ superius dicta sunt, Deum seriò velle omnes saluos, atq;  
ideo etiam fidem amplecti. Verùm sicut illud non vult abso-  
lutâ voluntate, secundum quam omnia quæ voluit, fecit, ita  
neq; istud: sed vtrumq; ordinatâ, ad statuta media semet de-  
mittente. Quemadmodum igitur ad salutem viam & medi-  
um statuit fidem: sic ad fidem Verbum & eius auditum. Vn-  
de consequitur, quemadmodum salutem credentibus, ita fi-  
dem eum dare velle audientibus: & quemadmodum salutem  
infidelibus, ita fidem negitare inobedientibus, verbum ne-  
gligentibus, & Spiritui sancto fidem operaturo resistentibus.

LI. Vt & hinc commodè adhiberi possit distinctio volun-  
tatis antecedentis & consequentis. Illius nimirum quæ o-  
mnes vult credere, atq; ideo vniuersalia ad credendum me-  
dia o-



dia omnibus ordinavit, & vniuersali Euangelij prædicatione omnes vocauit. Istius quæ fidem media ista amplectentibus donat, adspènantibus & ociosè vel indebitè adplicantibus denegat.

LII. Et hinc euidenter ostenditur, vocationem nullo modo inefficacem esse, quò ad Deum: sed ipsos illos in culpâ, qui obice posito prohibent, ne vocatio & prædicatio finem quem intendunt, adsequantur.

LIII. Antè euicimus non esse in Deo voluntates contradictorias, atq; ideo impium, hypocritam eum fingere aliud extùs profitentem, aliud intus sentientem: offerentem videlicet omnibus meritum Christi omnes obtestando, vt id fide adprehendant, & nihilominus præciso & immoto decreto ne adprehendant cauentem, atq; ita altiùs datâ operâ per vocationem suam miseros homines quos se liberare velle simulat, obruentem.

LIV. Et quid nisi meræ præstigiæ hæc verba Pauli: *Deus nunc adnunciat omnibus vbiq; hominibus, vt resipiscant*, si sensus Act. 17. 30. sit quem eis adsuit Beza? Ita enim ille in glossis: *Offeritur Christus vniuerso mundo, quod tamen rursus ita accipiendum erit, vt ad omnes gentes non autem ad singulos homines referas.* Nam quomodo conueniunt: *omnes vbiq; homines*; Et: *aliqui ex omnibus gentibus homines, non singuli?*

LV. Nos eis contradictorium sensum non adfingamus; vt nec alteris eiusdem: *Nomine Christi legatione fungimur*, & 2. Cor. 5. 20. *velut Deo precante per nos obsecramus Christi nomine, reconciliamini Deo.* Nec hisce ipsius Christi: *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos.* Nec hisce per Prophetam loquentis: *Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, manè surgendo* & Matth. 23. 37. *mittendo, dicens: Conuertimini obsecro vnusquisq; à viâ suâ malâ.* Ier. 35. 15.

LVI. Neq; verò tantùm omnis inefficiæ culpam à Deo seriò vocante remouet: sed nullam non in vocatos homines



Matth. 23. 37. transfert ipse Christus: *Quoties volui, inquit, congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & nolui-  
 Ioh. 3, 19. stis. Et alio loco: lux venit in mundum, & dilexerunt homines  
 Matth. 13, 15. magis tenebras quàm lucem. Iterum alio ex Iesaiâ: Incrassatum  
 Marc. 4, 25. est cor populi huius & auribus grauitè audierunt, & oculos suos  
 Luc. 8, 18. clausèrunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & con-  
 uertantur, & sanem eos. Stephanus: Vos semper Spiritui sancto  
 Act. 7, 5. resistitis, sicut patres vestri, & vos. Paulus: Vobis oportebat primùm  
 Act. 13, 46. loqui verbum Dei: Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iu-  
 dicatis eternâ vitâ, ecce conuertimur ad gentes. Et alibi in per-  
 Rom. 10, 20. sonâ Domini ex Prophetâ: Totâ die expandi manus meas ad po-  
 pulum non credentem & contradicentem. Legimus quoq; in A-  
 Apoc. 3, 20. pocalypsi: Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem me-  
 am, & aperuerit ostium ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, &  
 ipse mecum.*

Ioh. 6, 44. LVII. Quamobrem trahit quidem Deus, nam nemo po-  
 test venire ad me, inquit Christus, nisi pater traxerit eum: sed  
 trahit volentes, vt ait Chrysostomus, non resistentes, rebel-  
 lantes, contradicentes, oculos & ostium claudentes, quales  
 Luc. 14. qui vocati ad cœnam magnam ceperunt vno ore se excusare: &  
 Matth. 22. qui ad regias nuptias inuitati, abierunt alius quidem in agrum,  
 alius ad mercaturam suam: reliqui verò prebensos seruos eius con-  
 Luc. 7, 30. tumeliâ adfecerunt & trucidarunt. Item Pharisei & Legisperiti,  
 2. Thes. 2, 12. qui consilium Dei spreuerunt in semetipsos, & quos Paulus in in-  
 iustitiâ beneplacitum habere dicit: Verùm quia hæc videri pos-  
 sunt intelligenda præcipuè de ijs qui nimis superciliosè ver-  
 bum adspèrnerentur, & nec auditu dignentur, porrò ostende-  
 mus, etiam eos qui audiunt, si fide destituantur, destitui non  
 ob denegatam Spiritus sancti efficaciam, sed obicem à semet-  
 ipsis efficaciam spiritus oppositum.

LIX. Multi enim audiunt quidem, sed audiunt alij pe-  
 Matth. 13. regrinâ mente & cogitationibus seuocatis: Deinde venit dia-  
 bolus



*bolus & tollit verbum e corde eorum; in quod tamen vix fuerat* Marc. 4.  
*intromissum. Alij cum gaudio suscipiunt, sed radices non habent,* Luc. 7.  
*qui ad tempus credunt; deinde ortâ ad afflictione aut persecutione,*  
*statim offenduntur. Alij in spinas excipiunt, hi sunt qui audie-*  
*runt, sed profecti, à sollicitudinibus & diuitijs ac voluptatibus vite*  
*suffocantur, nec fructum proferunt: qualis diues ille adolescens*  
*apud Matthæum; Antipas apud Marcum; Felix & Drusilla,*  
*Agrippa & Bernice in Actis.*

LIX. Hi & horum similes plurimi alij, si fide carentes  
verbum Dei non odorem vitæ ad vitam, sed odorem mortis  
ad mortem experiuntur, totum id acceptum referant sibi-  
metipsis, obijcientibus videlicet hæc Spiritui sancto obstacu-  
la, quibus remotis si intentam & constantem discendi studio  
operam dedissent, semper diuinam efficaciter sensissent: non  
quidem propter meritum huius operæ, sed propter ordinati-  
onem Dei, cui visum fuit fidem per hæc media largiri.

LX. Explicato negotio eorum quibus prædicatur ver-  
bum, restare videtur nodus de ijs, quibus non prædicatur, &  
de ijs, quibus corruptum, humanisq; additionibus vel detra-  
ctionibus interruptum prædicatur.

LXI. Hic vt soluatur, & Deus extra omnem culpam non  
prædicati aut prauè prædicati intelligatur, aduerte, quòd in  
principio primo homini & per eum omnibus purum putum  
concesserit: Concesserit eodem modo post diluuium in præ-  
cone iustitiæ Noacho. Spreuerint & amiserint Cainitæ, Cha-  
mitæ, Iaphitæ, suâ sponte, suâ culpa; nullâ Dei ordinatione.

LXII. Iam verò eius non inuidiam, sed summam clemen-  
tiam & clementissimam prouidentiam aduerte. Ne posteris  
qui delicta maiorum suorum luebant omnino aditus ad audi-  
tum, fidem & vitam præcluderetur, populum suum stupendis  
miraculis coram toto orbe (in cuius meditullio locarat) cele-  
brem fecit, & in omnibus Monarchijs per omnes regiones



disperfit, vt fama & doctrina de se Deo Israëlis penetraret

*Vltra sidera, flammamq; solem,*

*Et Nili caput, & niues Atlantis.*

LXIII. Sed nec hoc solum. Maius & communius incitamentum & adminiculum ad sui cognitionem venandam omnibus dedit, adeoq; indidit, dum *semetipsum sine testimonio non reliquit*: de quo Paulus Lytrensens obtestatur, & ad Romanos testatur. *Quod notum est Dei, inquit, manifestum est in illis: Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim inuisibilia iam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta conspiciuntur, sempiterna eius tum potentia, tum diuinitas.* Et in hunc sensum Dauid; *cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius adnunciat firmamentum.* Item: *Generatio generationi narrabit opera tua: & fortitudines tuas adnunciabunt.*

Act. 14, 17.

Rom. 1, 19.

Psal. 19, 1.

Psal. 145, 4.

LXIV. Accedit ad hæc naturales notitias naturale desiderium, quo quisq; hauet de Deo cognoscere; quo sibi quisque potius bene esse cupit quam malè. Et ad hoc consensus omnium populorum de immortalitate animæ & subsequuturis pœnis ac præmijs.

LXV. Nulli non igitur mortalium dati & adgnati stimuli, quibus adigatur ad inquirendum de Deo, in promptu quoque vndè hauriat cognitionem & confusam & distinctam.

LXVI. Atq; hinc factum, vt nulla sit gens, è quâ nulli notitiam cultumq; Dei Israëlis ambiuerint: & ambientes votorum expleti fuerint. Inspiciantur obiter modo sacra monumenta, & affatim se offerent lob cum suis amicis, Rex Abimelech, Mambre, Escol & Aner, filij Heth, Iethro, Hobab, Rahab, Gibeonitæ, Ruth, Vrias, Ithai, Hiram Rex Tyri, Regina Austri, Naëman Syrus, Niniuitæ, Nabuchodonosor, Cyrus, Darius, Ahasuerus, Babilonij, Persæ, Magi ex oriente *Matth. 2.* Græci qui ascenderant vt adorarent in die festo *Ioh. 12, 20.* Centurio *Matth. 8. Luc. 7.* Syrophænissa *Matth. 15.* Eunuchus *Canda-*



Candaces Reginae Aethiopum Act. 8. Cornelius Act. 10. in Ierusalem habitantes Iudaei viri religiosi ex omni gente quae sub caelo est, Parthi & Medi & Elamitae, & inhabitantes Mesopotamiam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphylia, Aegyptum & partes Lybiae quae est secundum Cyrenen, & aduenae Romani, Cretes & Arabes, tum Iudaei tum profelyti Act. 2.

LXVII. Horum qui dissimiles non tantum operae inquisitionis pepercerunt, sed veritatem in iniustitiam detinuerunt, eamque adeo in ipsa mente animi quasi luctantem oppresserunt: suam sibi ut oscitantiam ita ignorantiam imputent.

LXVIII. Iam sub initijs Noui Testamenti, cum Christus post oblatam patri victimam, vnde venerat redisset, tertium toti mundo verbum concessit. Ita enim eis quos vocatum & praedicatum ablegat, iniungit: *Euntes docete omnes gentes. Et: Matth. 28, euntes in mundum uniuersum, praedicate Euangelium omni crea- 19. Marc. 16, tura. Cui mandato satisfactum dicit Paulus ad Colossenses, 15. Euangelium inquit peruenit ad vos, sicut & in totum mundum & c. 1. v. 6. fructum profert, & crescit: & paulo post testatur, praedicatum o- ver. 23. mni Creatura quae sub caelo est. Item ad Romanos: In omnem ter- Rom. 10, 13. ram exiuit sonus eorum, & in fines terrae eius praedicationis tunc prima dicitur. de praepar. 1. 1. c. 3.*

Notentur quoque haec Eusebij verba: *Innumerabiles viri & mulieres, seniores & pueri, serui & liberi, nobiles atque ignobiles, docti simul atque indocti in omni ab ortu solis ad occasum loco ubi homines habitant, quotidie ferme ad percipiendam disciplinam Christi confluunt.*

LXIX. Quae iam gentes coeleste hoc depositum amiserunt, iisdem de causis amiserunt de quibus ante cataclysmum posteritas Caini & post Noachi. Sicut vero tunc, quos eo parentum incuria & iniuria priuarat, habebant tamen qui ducerentur & docerentur: ita nunc quoque Ecclesiam inlustri, Christianis totum orbem peragrantibus, igniculis innatis instigantibus



tibus nihil nisi adfectatam suam ipsius ignorantiam accusabit, qui fidem cumq; & vitam non adsequitur.

LXX. Turcæ imprimis & Iudæi, qui cum neutri sacris libris destituantur, peruerso tamen & destinato animo præferant isti nugacissimum Thalmud, illi impurissimum Alcoranum: tanto interim thesauro tanquam in terram defosso & præconceptis erroribus seruire iusso.

LXXI. Demùm qui inter eos, quos Christianos utiq; appellamus, hæreses sequuntur & amplectuntur, accusent partim maiores suos, passos irrepere corruptelas in doctrinam quam veram & sinceram acceperant; partim doctores, seductores suos; partim semetipsos, qui in ludricis seculi negocijs non quantum lusciniæ dormiant, in diuinis ultra Epimenidē. Semetipsos verò eò acrius, quò maiora quibus *αὐτὸν Ἰησοῦ* liberarentur, præsto sunt adminicula, cùm diuinæ literæ, quas rimari deberent & *ἀτιμῆς* inspicere, tum orthodoxi, à quibus dextrè imbui & institui possent, modò vellent.

LXXII. Neq; verò hisce quæ dicta sunt quidquam homini adscribimus eorum quæ propriè sunt spiritus Dei: neque quidquam humanis viribus in conuersione tribuimus præter desiderium, externum cursum & ministerij obedientiam, quã non renatū & sibi relictū præstare posse constat. Naturã enim habet vt malit salutem: quare Saluator etiam pereuntibus desiderium æternæ vitæ adscribit, *Contendite, inquit, intrare per angustam portam: quia multi, (dico vobis) quærent intrare & non poterunt. Potest quoq; habere famem, non famem panis neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, quam contemtoribus eius se missurum minatur ipse. Potest habere Zelum Dei sed non secundum scientiam, quod de incredulis Iudæis testatur Paulus.*

LXXIII. Ita non renati Herodes obseruabat Ioannem; *audiroq; eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Felix cum*  
Dru-



Drusillâ vxore suâ accersuit Paulum & audiuit eum de fide, qua <sup>Act. 24, 24.</sup>  
est in Christum. Eundem Agrippa volebat & ipse hominem au- <sup>25, 22.</sup>  
dire. Hi quidem sine fructu, nam obstacula (de quibus supra)  
non modo non remouebant, sed ne remouerentur operam  
dabant: at audire & studiosè audire & non impedire oportet.  
Cum fructu verò proprætor Sergius, qui expetiuit audire ser- <sup>Act. 13, 7.</sup>  
monem Dei licet nondum renatus; & cum vidisset quod factum <sup>v. 12.</sup>  
fuerat, punitū scilicet diuinitus Magū Elymam credidit percul-  
sus super doctrinā Domini. Ad eum quoq; modum Berrhoën-  
ses cum omni alacritate verbum susceperunt, quotidie scrutantes <sup>19, 11.</sup>  
scripturas, si haberent se hæc ita. Multi quidem ergo ex eis credide-  
runt.

LXXIV. Quamobrem non licet contra ea, quibus ineffi-  
cacem vocationem à parte Dei negauimus replicare homi-  
nem non posse non contemnere & repellere verbum, non  
posse non resistere Spiritui sancto, & obicem ponere, cum  
contrarium ex Scripturâ constet. Neq; licet, vt abundè pro-  
bauimus collationem fidei saluificæ ab absolutâ electione, &  
priuationem eiusdem ab absolutâ reprobatione suspendere.

LXXV. Quod cum faciant Calvinistæ, errorem errore  
cumulent necesse est, statuuntq; quoscumq; fide & spiritu se-  
mel initiatos necessario ita perseuerare & tandem saluari: ne-  
que regenerationis gratiam vnquam vlllo modo eos excutere  
posse; neq; alios accipere. Nos verò ex sacris literis, mixtis  
testibus exemplis & rationibus probabimus, haut impossibile  
vel electos aliquando gratiâ excidere, vel renasci qui tamen  
postea deficient & pereant.

LXXVI. Iehouah ad Mosen: *Qui peccauerit mihi delebo e-* <sup>Exod. 32, 34.</sup>  
*um de libro meo.* Apud Iezechielem: *Cum auerterit se iustus à iu-* <sup>c. 18. v. 24.</sup>  
*stiriâ suâ, & fecerit iniquitates, morietur in eis: in iniustitiâ quam* <sup>& 26.</sup>  
*operatus est, morietur.* Seruator docet in parabolâ de quadru-  
plici semine quosdam cum gaudio suscipere verbum: sed ra-  
dices

T



Matth. 18. dices non habere & credere ad tempus. In aliâ seruum cui remissum fuerat debitum ab irato Domino tradi tortoribus, vſquequo redderet vniuersum.

LXXVII. Paulus de Iudæis incredulis & credulis gentibus clarissimè: *Si permanseris in bonitate alioquin & tu excidèris. Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur.* Et eodem sensu hoc: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et ad

Colof. 1, 22. Colossenses eodem: *Reconciliauit vos in corpore carnis suæ per mortem, ut sistat vos sanctos & inculpatoſ & irreprehensos coram se: si tamen permanetis in fide fundati & firmi, nec dimouemini à*

1. Epist. 4, 1. *spe Euangely.* Ad Timotheum: *Spiritus disertè dicit, quia in nouissimis temporibus desciscent quidam à fide, adtendentes spiritibus*

2. Pet. 1, 9. *erroris, & doctrinis demoniorum.* Petrus: *cui non præsto sunt hæc, (pietas, caritas videlicet, & quæ enumerarat) cæcus est, μιοπός-*

2, 20. *ζωv, oblitus purgationis veterum suorum delictorum.* Item: *Si postquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & seruatoris Iesu Christi effugerint, his rursus implicati superentur, facta est vltima eorum conditio deterior priore.* Sola Epistola ad Hebræos contradicentium ora vel ἀχάλια obstruat & frenet luculentis testimonijs cap. 3. v. 6. & 14. c. 6. v. 4, 5, 6. c. 10. v. 26, 29, 38.

LXXIIX. Progrediamur nunc ad exempla. Primum quod vel vnum satisfecerit, primi hominis. Quæro hîc ab aduersarijs, ane Adamus ad imaginem Dei conditus illam per peccatum mortale amiserit & gratiâ prorsus exciderit? Aiunt? neq; enim aliter possunt, nobis quæ volumus concedunt & sese redarguunt. Negant verò? & quemquam nostrum in Adamo mortuum negant, & Christum frustra mortuum adfirmant. Alterum Aharonis idololatriæ auctoris. Tertium Dauidis, qui vir secundum cor Dei, contempsit tamen verbum Domini, vt malum faceret in conspectu eius, dum videlicet in adulterium prolabitur, & destinato animo consilioq; homicidium committit, X menses sine poenitentiâ transigens.

Quar-



Quartum Petri, qui quamuis renatus Christum nihilominus periurio abnegauit.

LXXIX. Atq; isti quidem quos recensui, reuersi sunt ad pœnitentiam: Superfunt qui neq; ad hanc neq; ad vitam, alij, nihilominus olim renati & ingratiâ. Saul *electus & bonus*: *1. Sam. 9, 2*  
*non erat vir de filijs Israël, melior illo. Ab hoc recessit spiritus Do-* *16, 14*  
*mini & exagitauit eum Spiritus nequam; Tandem desperabun-*  
*dus arripuit gladium suum & irruit super eum. Solomonem di-* *31, 5*  
*lexit Dominus: & hinc vocatum nomen eius, Amabilis Domi-* *2. Sam. 12,*  
*no: eo quòd diligeret eum Dominus. Ipsum tamen eum auerte-* *25*  
*runt mulieres: quumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per* *1. Reg. 11, 4*  
*mulieres, ut sequeretur Deos alienos. Igitur iratus est Dominus,* *v. 9*  
*quòd auersa esset mens eius à Domino Deo Israël. Neq; reuersio-*  
*nis meminerunt sacræ literæ, vt pro reprobato & damnato*  
*habeat Augustinus l. 22. cont. Faustum. c. 88.*

XXC. In Nouo Testamento offert se Iudas, qui Magi-  
strum suum prodidit, semet perdidit. Ille tamen de eo apud  
Ioannem: *Pater quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis* *c. 17, v. 12.*  
*perijt nisi filius ille perditionis. Certè si filio à patre datus fuit,*  
*quum daretur bonus fuit; & si è grege filij perijt, in grege an-*  
*tequam periret, numerabatur. Perijt quoq; Simon Magus,* *Act. 8, 12*  
*qui tamen antea Philippo euangelizanti de regno Dei & nomine*  
*Iesu & ipse credidit, & baptisatus adherebat Philippo.*

XXCI. Paulus ad Timotheum disertè: *Milita bonam mili-* *1. Tim. 1, 18*  
*tiam, retinens fidem & bonam conscientiam: quâ expulsâ nonnulli*  
*naufragium fidei fecerunt: Ex quibus Hymeneus & Alexander,*  
*quos tradidi Satanae. De Galatis qui initio crediderant, & post-*  
*ea se passi fuerant seduci expressè: Euacuati estis à Christo,* *Gal. 5, 4.*  
*gratia excidistis. Incestuosum Corinthiacum vno loco Satha-* *1. Cor. 5, 5.*  
*næ tradit: alio pœnitentem in Ecclesiam recipit, vt ostendat* *2. Cor. 2, 8.*  
*haut esse fatalem conditionem stantium & cadentium.*

XXCII. Verè verum, quod Baptismus, *lauacrum regene-* *Tit. 3, 5*



Gal. 3, 27. *rationis & renouationis Spiritus sancti. Quod quicumq; in Christum baptizati estis, Christum induistis. Neq; tamen verum post acceptum baptismum nullos gratiam regeneracionis excutere, nullos Christum exuere. Immò iuxta Calvinianam sententiam filij fidelium nascuntur sancti: iuxta eandem itaque manebunt sancti, neq; eorum quisquam vnquam peccabit, vnquam damnabitur.*

XXCIII. Atq; ex hisce constat non esse aliquod præcisum aut fatale decretum de his vel illis certis indiuiduis ante tempora determinatè electis; in tempore necessariò fide donandis & in eâ conseruandis, adeò, vt eorum numerus augeri posset, posset etiam minui. Augeri, si plures Deo obsequerentur, & à Deo ordinatis medijs vterentur: Minui, si pauciores. Hoc fieri posse testatur Apostolus operam nauans, *ne forte cum alijs prædicauerit, ipse reprobus efficiatur.* Illud Seruator ipse, dum inexpugnabilem pertinaciam ciuitatibus Galileæ exprobens, quòd si in Tyro, ait, & in Sidone factæ essent virtutes qua factæ sunt in vobis, olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent. At nunquam pœnitentiam egissent, licet infinities plura apud eos edita miracula, dicent Calvinistæ, nisi suum fatum fatuum dicant.

XXCIV. Neutiquam tamen dicimus nos fugere Dominum certum numerum certorum fidem & vitam adprehendentium. Redargueremus enim eius omniscientiam: eius fundamentum, habens signaculum hoc: *ἐγώ νύ εἰμι τῆς οὐκίας αὐτῆς.* eius ipsius vocem: *Ego sum pastor bonus & cognosco meas.* Dicimus verò, neq; formaliter neq; materialiter dependere ab hac scientiâ vt fato vel decreto siue electorum siue reproborum numerum: Hunc quidem auctiorem, illum arctiorem; paucos enim electos ait, qui nouit. Quippe pauci (vt & hoc ex Augustino *ἐν τῷ εἰδῶν* explicemus) *in comparatione pereun- rium, in suo autem numero liberantur multi: de corrept. c. 10. contra Crescent. l. 3. c. 56. & l. 4. c. 53.* 85. *Quam-*



XXCV. Quamobrem prout nouit Deus, ita est, eritq;  
hanc aliter: neq; tamen taliter propter huiusmodi notitiam  
ceu necessitantē. Nam quod producitur è causis quæ varia-  
re vel deficere possunt, in seipso naturā & conditione suā ne-  
que certum neq; necessarium est: atque adeo, quod ad v-  
trumq; se habere potest, non habet se ad alterutrum propter  
causam aliquam primam, sed proximam quæ secundum su-  
um modum istius motionem recipiat. Porro intellectus di-  
uinus singula intelligit non aliter postquam sunt, quàm ante-  
quam fiunt: neq; enim in tempore cognoscit ea, neq; tantum  
prout in causis adhuc, & aliquando erunt: verum in æterni-  
tate, prout in esse suo determinato coram ipso præsentem exi-  
stunt. Quoniam verò quæ sunt, dum sunt, certa, determina-  
ta & necessaria sunt, cognitioq; diuina vnumquodq; prout est,  
intuetur: sequitur è dictis vnumquodq; quatenus huic scien-  
tiæ subditur, certum, determinatum, necessarium esse, quia  
scilicet præsens sit; quatenus ad suas causas comparatur vt  
futurū contingens esse, ita quoq; alio vel alio pacto se habere  
posse. Atq; hinc patet de numero electorū, de quo secundum  
hunc modum rectè adfirmamus, augeri posse, posse & minui:  
secundum illum itidem rectè cum Augustino: *Certus est, nec* de corrept.  
*potest minui, nec augeri.* C, 13.

XXCVI. Atq; ita *vulneribus paulatim euiecta supremum*  
*Congemuit, traxitq; iugis auulsa ruina*  
illa Calvinistici decreti compaginata moles, siue malis tela,  
quam contortuplicarint, *nentes fatalia Parca stamina*: nos ve-  
rò protelamus vt *ανακεφαλαιωσοι* adseueremus, haut ita con-  
ferri fidem, ne possit iterum auferri: neq; enim determinatis  
electorum indiuiduis tantum offerri, sed quibuslibet per vni-  
uersalem vocationem & media quorum inefficacia nequa-  
quam in Deum reuerenda, referenda utiq; in ipsos, qui ad-  
plicare fastidiant. Nam Deum omnibus suum filium misisse,  
filium



filium pro omnibus ex consilio patris satisfecisse. Atq; hinc patere quòd ad damnationem vel eius causas neminem creavit aut destinavit, sed velit salutem omnium: ideoq; huic voluntati non sine extremâ impietate aliam quocunq; nomine indigetetur, contrariam fingi.

XXCVII. Paulus certè in quem finem quoduis in Ecclesiâ doceri debeat, optimè docet. *Quaecunq; inquit scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Et alibi: *Tota scriptura divinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem qua in iustitiâ.* Unde promptè colligitur, quodcunq; dogma, per quod spes, consolatio, doctrina, correctio, institutio haberi nequeat, alienum esse à scripturâ, & ab eius fine distare *ὅτις ἄλλὰ πασῶν.*

XXCIIIX. Ad hanc Apostolicam amussim compages decreti si exigatur, ipsa semet continuò exiget. Intelligetur enim non tantùm illa non præstare, sed potius quæ cum illis pugnant ex diametro, fenestram scilicet vel securitati vel desperationi aperire, pietatis studium exinanire, & demum blasphemias extortum ire. *Quidenim ultra speret ait Faustus, quem iam gratia suum fecit? in quo econtrario non desperet, quem præfinitio violenta damnavit? Et quid orare homini proderit in vna harum conditione constituto? Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignorat, utramq; tamen partem fixam esse & immutabilem non ignorat.* Et in quo scelere necessitatem non excuset, causseturq;

*Sic Iouis imperia, & nigras voluisse sorores.*

*Deus nos ab absurdis huiusmodi opinionibus tueatur, & in sanctâ veritate conseruet.*

*Disputationem 7. Vide infra Versis 79. folijs.*



00 A 6446

ULB Halle 3  
002 935 767




WMA


Retro ✓











13.

DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM  
SEXTA,  
**DE PRAEDESTINATIONE.**

*CVIVS THESES  
AVSPICE DEO OPT. MAX.*

*SVB PRAESIDIO  
M. GEORGII CALIXTI  
HOLSATI*

*IN ILLVSTRI ACAD.  
IVLIA*

*propriid. Kal. Quinctil.*

*DEFENDET  
IOANNES RHANEN  
LVCHOVIENSIS.*



*Helmestadij Saxonum*

*Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,*

*ANNO*

*cl b cXI.*

